COLAI

PERA.

TUS II.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. de Multipraesentia Rei finitae.
2. Tr. de Contradictionis Natura et Principio.
3. Tr. de Oppositione Enunciatorum.
4. Pansophia liberalis Tabellis repraesentata.
5. Disquisitio Magnetica.
6. Tr. de Notitiis naturalibus.
7. Tr. de Cognitione humana universa, duabus Exercitationibus comprehensa.

De optimâ Contradictionis in Enuntiationibus formâ.

THESIS XX.

Resp. Adamo Nassio. NeoStetin. Pomerano.

4. EX primariâ ratione oppositionis. *Ratio oppositionis primaria in enuntiationibus per se ac formaliter ex solâ qualitate vel affirmatione & negatione secundùm discretionem veri & falsi metienda est, non præcisè ex quantitate, ut §. 8. visum. E. & in Contradictione magis ex qualitate judicandum, quàm quantitate. E. Ea contradicendi forma aptissima erit, quæ* magis ad qualitatem enuntiationum respicit, quàm quantitatem. Sed nostra forma id facit. *Præscindit enim à quantitatibus propositionum, & sensum enuntiatorum magis respicit, Vt* idem ille affirmetur & negetur esse verus, *sivè quantitas aliqua adsit, sivè nulla, ut in exponibilibus & compositis indifferenter habet.* 5. Ex fine & usu Contradictionis. Contradictio in Logicis *formale instrumentum Logicum* eruendi verum *esse debet, quod in omni materiâ procedat, ut falsitas eò melius retundatur, & veritas eruatur.* Ideò citra respectum ad materiam vel *intentionem alicujus proponentis opponi debet, secùs non formale instrumentum erit. Nec negare tantùm id, quod falsum est, in aliquo Enuntiato debet, quasi jam ante contradictionem ex materiâ constet esse falsam;* sed ex vi & formâ contradictoriæ negationis agnoscendum, aliquod contradictoriorum enuntiatorum esse falsum, aliquod verum, ut maximè de materiâ nihil tibi constet aut constiterit. *E. & talis forma contradicendi in Logicis agnoscenda, quæ formaliter in omni materiâ procedat. Hoc autem* nostra forma facit,

quæ absolutè negat sensum prioris enuntiati, aut affirmat, si negans illud fuerit, Qualiscunq; materia fuerit, sive per quantitatem enuntiata illa, sive sine eâ. E. & hæc contradicendi forma verissima & aptissima est.

21. Exempla quædam in oppositum sunt, *quibus nostra contradicendi forma infirmari videatur. Quæ*, ut tota res certior evadat, *adducenda erunt, & quid de illis habendum, discutiendum erit.* Dices 1. Vera contradicendi forma alterum enuntiatum infallibiliter verum, alterum falsum conciliare debet in omni omninò materia. Formale enim & immotum eruendi veri instrumentum Logicum est contradictio, Ut s. 1. §. 57. de Contradict: *Constitutum.* Sed nostra Contradicendi forma in multis materiis hoc non facit, cum utramq; falsam relinquat. Ut in exponibilibus, Solus *Papa est legitimus Iudex fidei, Non solus Papa est le. Iud. fid:* Sola *bona opera justificant, Non sola b. o. just.* Sola *Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia, Non sola Ecc. Ro. e. v. C. E.* Solum *purgatorium maculas veniales eluit, Non solum purg. mac. ven. el.* Soli *sancti pro nobis orant in coelo, Non soli san. p. n. o. i. c.* Solæ *indulgentiæ peccatorum pœnas relaxant, Non solæ j. p. p. r.* Solus *Papa in definiendo est infallibilis, Non S. P. i. d. e. i.* Solum *liberum arbitrium sufficit ad salutem; Non S. l. a. s. a. s.* Solus *angelus est corporeus, Non s. a. e. c. Hic utraq; Contradictoria ex nostrâ mente est falsa.* Prior, *quæ* Papistarum, *omninò falsa â nobis habetur.* Posterior, *quæ nostra Contradictoria, etiam falsa esse cogitur.* Si enim non solus Papa est judex fidei, E. tamen est judex, sed cum aliis, quod nos etiam non concedimus. *Nam qui non solus, is cum aliis tamen esse conceditur id, quod esse dicitur.* Sic, si *non sola bona opera justificant, Ergò bona opera tamen justificant, sed cum alio, ut fide, juncta.*

juncta. Si non *sola Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia, E. tamen cum aliis juncta talis erit.* Si non *solum purgatorium maculas veniales eluit, E. tamen eluit, sed cum alio junctum, ut sanguine Christi.* Si non *soli sancti pro nobis orant, E. cum aliis orant, & sic tamen orant.* Si non solæ *indulgentiæ pœnas relaxant, E. tamen relaxant, sed cum aliis.* Si non *solus Papa est infallibilis, E. tamen infallibilis est, sed cum aliis.* Si non Solum *arbitrium ad salutem sufficit, E. cum aliis junctum sufficit, Ut cum gratiâ divinâ.* Si non solus *angelus est corporeus, E. cum aliis junctus est corporeus.* Quæ omnia nos non admittimus, *sed pro falsis habemus*. Et sic utraq; contradictoria propositio falsa erit, quod contra naturam veræ Contradictionis Logicæ est. Et consequenter nostra Contradicendi forma non est legitima.

22. Antequam ad hæc similiaq; exempla, *quæ speciosa primâ fronte videntur, verè respondeatur, quid habendum sit, quod in partem ext.* 10. *jam patet:* recensendæ priùs aliorum sunt sententiæ, *quibus obviam iri his exemplis posse arbitrantur.* 1. Quidam concedunt, licere ita ex Contradictoriâ negante inferre. *Si non sola bona opera justificant, E. cum aliis juncta justificant. Si non solus Papa est judex fidei, E. cum aliis est judex, &c.* Ita Mulmannnus in defens. c. Mulhuslnum, C. 4. q. 3. *Ubi inter coetera,* Si non ex solo Dei verbo, inquit, judicium sumi potest, E. secundùm quid ex verbo. Exclusivæ enim propositiones negativæ non simpliciter negant, sed secundùm quid etiam affirmant. Ex. gr. Non solus homo est mortalis. E. homo est mortalis. *Quapropter si judicium secundùm quid ex verbo scripto sumi potest, falsum est, id ex solius Ecclesiæ gremio promi debere.* Et ad marginem addit: Qui dicit non solum, is secundùm quid affirmat. Hæc responsio formalis non est,

sed tantùm materialis. Ex materiâ, *prout illa fuerit, interdum ita colligere licet.* Ex formâ ipsius Contradictionis haudquaquam id licet, *nisi in valida absurda præcipitare velis, ut exempla docere possunt. Si dicam,* Non solus homo est insensatus, *irrationalis, incorporeus, lapis,* & inde inferre velis: *E. secundùm quid homo est insensatus, irrationalis, incorporeus, lapis, nimis absurdè intuleris.* Non solum animal est sine sensu: E. *cum aliis est sine sensu. Non solus leo est asinus. E, cum aliis erit asinus. Non solus angelus est mortalis. E. cum aliis absurda universa erunt.*

23. *Quære* 2. Alii negant, ex exclusivâ negante exclusi subjecti per vim formæ affirmantem inferre licere, sed tantùm in negando sistendum esse. Mulhusinus refut. resp Mulmanni c. 4. s. 3. ex Fonsecæ Dialect. l. 3. c. 24. Exclusiva exclusi subjecti, inquit, si & signum & verbum affirmaverint, exponendæ erunt copulativè, priori exponente indefinitâ, seu particulari affirmativâ, *posteriori universali negativa.* Postea: *Ubi & hoc diligenter observandum est,* ex vi formaq; ejusmodi propositionum exclusivarum exclusi subjecti, quæ negationem dictionis exclusivæ continent, non licere affirmantem inferre propositionem. Sæpiùs enim consequens falsum erit, cum antecedens sit verum. *Hæ namq; propositiones hujus generis exclusivæ, Non solum liberum arbitrium ad æternam beatitudinem obtinendam sufficit, Non solum lignum est sentiens, Non solus homo est lapis, verissimæ sunt, Cum contradicentes earum sint falsæ. Neq; tamen ex illis affirmantes has rectè concluseris:* E. lib. arbitrium ad æternam beatitudinem sufficit. *E. lignum sentiens est, E. homo lapis est.* Ex quibus manifestus Prædicantis hujus error in Logicis redarguitur. *Existimat enim is,* in propositionibus exclusivis exclusi subje-

ctì negantibus rectè deduci affirmantes. Ex hac igitur, Non solus homo est mortalis, benè affirmantem hanc colligi censet, E. homo est mortalis. Et & hac, Non solum verbum scriptum judicat Controversias, hanc, E. verbum scriptum secundùm quid judicat controversias. *At insignis hæc hallucinatio est in Logicis, & lapsus turpis, etiam Ostiario vel Lectori, nedum Archidiacono tanto & tali, &c.* Eadem ex Mulhusino repetit Dn. Corn: Martini d. anal. form. c. 3. Et similia Bacchius in vindi. pr: anal. l. 1. c. 3. aliiq; proponunt.

24. 3. Alii ex talibus exclusivis negantibus aliquid inferri posse concedunt, cum absolutè & solitariè pro se ipsis stant, *& particula negandi non, solùm signum exclusivum negat; Non autem* cum respectivè & in statu Contradictionis ad aliam stant, *Cui contradicunt, & cum* τὸ non *universam enuntiationem respicit*, Tum simpliciter negare, nullamq; prorsus affirmantem includere aut inferri censent. *Sic cum absolutè & sine respectu ac collatione ad aliam dicitur:* Non solus *Mahometes pro nobis apud DEum intercedit, affirmantem hanc continere ajunt, & in eam resolvi posse: Mahometes pro nobis intercedit, sed non solus.* Si autem affirmantem priorem respiciat, cui actu opponatur, simpliciter & tantùm negare, ita ut non ampliùs ullam affirmantem inferri aut indè deduci patiatur. *Vt, Solus Mahometes pro nobis apud DEum intercedit, non solus M. p. n. a. D. intercedit.* Posteriorem *hanc tantùm negare, nihil ultrà affirmati indè inferri posse, an Mahometes intercedat, vel cum aliis intercedat. Ita* Dn. Corn. Mart. & Bacchius c. l. Keslerus Tra. d. Conseq. c. 10. §. 4. Scharfius l. 2 Log. c. 10. §. 2. *Circa hanc sententiam* distinguendum est inter significatum vocum & enuntiatorum Grammaticum,

ticum, & inter usum Logicum. Significatũ Grammaticũ *particulæ solus negatæ, & usum communem si quis attendat,* poterit indè inferre aliam affirmantem. *Ita si* Grammaticos, Lexicos, & Philologos *de sensu hujus enuntiati quæras:* Non ex omni ligno fit Mercurius, *inde colligi posse dicent, ex quodam fieri Mercurium. Sic, non solus homo est animal,* sensu Gramatico *inferri dicent, hominem esse animal.* Hoc modo in usu communi hujusmodi enuntiandi forma adhibetur, ut innuatur particularis affirmativa & negativa. *Sic, Non cuivis contingit adire Corinthum, insinuantur duæ particulares, affirmans & negans, cuidam contingere adire Corinthum, cuidam non. Ita* Valla, *melior omninò Grammaticus & Philologus, quàm Dialecticus,* l. 2. Dialect: c. 6, *ex eo, cum dicitur, non omnis homo volat, infert, partem hominum volare. Sic non omni pisce vescitur Iudæus,* biparticulare esse ait. *& multùm à particulari differre, Quodam pisce non vescitur Iudæus.* Illius sensum esse: *Quodam pisce vescitur* Judæus, *quodam non vescitur, tacitamq́ universalitatem habere in duas divisam partes. Quippe de omni pisce intelligi, quorum partem significemus in usu esse Iudæis, partem non esse. Et* τὸ omnis *nunquam suam vim universalem perdat.* Ea, pergit, quorum alterius significatum verum esse potest, cum alterius sit falsum, non idem significant, *veluti, ut exemplum à parte subjecti afferatur, Quidem homo non volat, vera est enuntiatio. At* non omnis homo volat, *falsa, quia partem hominum volare affirmat, & partem veram, partem falsam dicit. Vndè biparticularis tacitam in se universalitatem habet.* Si dicas, *omnes divites esse non possunt, omnis volucris non est pennis prædita, perindè est, ac si dicas, non omnes divites esse possunt, non omnis volucris est pennis prædita, quia pars hominum volucrumq́*

talis

talis est, pars non est. Ita ille. *Cum* Vallâ *facere videtur in hoc* Scheiblerus d. propoſ. c. 9. n. 12. Illa, inquiens, æquipollentia non ſemper procedit, *ut non inutiliter monet* Valla *& meminit* Hunnæus p. 157. Dial. *Ita videlicet* Valla *dicit, non eſſe has aquipollentes, aliquis homo non volat, & non omnis homo volat, Quia hac poſterior ſenſum habet* biparticularem, *nempe aliquis homo volat, & aliquis non volat, undè priorem veram dicit, poſteriorem falſam.* Similia ap. Timplerum l. 3. Logic. c. 4. q. 2. *invenies. Ita* Her. Nicephorus Ramiſta ex *eo, quod* Cicero *dicit, non omnes poſſunt eſſe patritii, infert, quosdam eſſe tales, quosdam non*, ut §. 14. *notatum. Huc &* Mulmannum *reſpexiſſe credam, cum ex excluſivâ negante aliam affirmantem inferri poſſe cenſuit, de quo* §. 22. *viſum.* Hoc modo ex excluſivâ alia affirmata colligi cenſeatur. *Vt, Non ſolus homo eſt animal, inferatur, hominem eſſe animal, non ſolum divitem eſſe honoratum, inferatur, divitem eſſe honoratum, & ſic conſequenter.*

25. *Sed* Logico ſignificato propriaq; Enuntiati formâ rem æſtimando, nullam enuntiationem negantem ex vi & formali ſuo ſignificato aliam, affirmantem inferre dicendum eſt, *ſed tantùm* in negando abſolutè & ſimpliciter ſiſtere judicandum. *Ita*, Non ſolus *Mahometes intercedit apud Deum, ex formâ ſignificandi* Logicâ *nihil aliud facit, niſi quòd neget, Mahometem intercedere. Vlterius* Logicè formaliter *nihil indè inferetur. Sic, Non omnes poſſunt eſſe patritii, Logica enuntiandi forma tantùm negat, nihil affirmat.* V. §. 14. *Non ſoli homines ſunt bipedes*, Logicè *nihil prater negationem enuntiat. An homines ſint bipedes, vel alii prater homines ſint bipedes, ex formâ enuntiationis iſtius, vel judicio ejus formali, nunquam expedies, niſi materiam cognitam habueris, & ex materiali judicio ad expediendum*

illum sensum, fundamentum aliquod conduxeris. *Hoc modo nec ex istis enuntiatis,* Non solus *Mahometes pro nobis intercedit,* non sola *bona opera justificant,* Non solus *Papa est judex Controversiarum fidei, absolutè & extra statum Contradictionis positis quidquam affirmati inferendum* Logicè ac Logico sensu *censeam, sed quantum ad formalem & Logicum sensum* in simplici & absolutâ negatione ea persistere, *nihil ultrà Logicè peragere, existimem.*

26. *Atq; ut* ita sentiam, *moveor sequentibus.* 1. Quia definitio & formalis ratio enuntiationis negantis in negando consistit, non aliud affirmatum inferendo. *Propositio negans est, quæ copulâ negante prædicatum removet à subjecto. Hic sistitur, nihil ultrà additur, an affirmati aliquid inferri possit, an secùs. Cur ergò in enuntiatione absolutè & per se positâ* statim aliam affirmantem colligi posse dicamus, *cum definitioni negantis id minimè conveniat? Si ergò affirmatum inferre patiatur, aliundè, quàm ab formali suo, id habere censendum est, è materiâ nempè & reipsâ.* Sic si dicas: *Quidam homines non sunt divites,* tantùm ex formâ negas, *non aliam affirmantem inferes: Quidam homines sunt divites, cum fieri possit, ut nulli sint divites.* 2. Quia exempla complura idem confirmant. *Ita* in absurdis materiis *si negantia enuntiata formes, pessimè indè affirmantes alias statìm educas, quâcunq; enuntiandi formâ id fiat. Sic,* Non omnis *homo est lapis,* non *omnis lapis est sensu præditus,* non *omne cadaver est animal,* Non *soli pedes sunt stipites,* Non *soli oculi sunt stirpes,* Non *multi Turcæ aut infideles sunt electi,* Non *omnes homines sunt irrationales,* Non *multi lapides sentiunt,* Non *multi homines infernum adeunt & revertuntur,* Non *uni dat omnia DEus,* Non *omnes descendentes in infernum te laudabunt,* Non *justificabitur per opera co-*

ràm

ràm DEo omnis vivens, &c. Absurdissimus sis, si ex his affirmantes alias elicere velis, *quantumvis absolutè per se* extra statum oppositionis *Contradictoriæ sint positæ.* Tantùm enim negant, nihil ultrà affirmant. *Malè ex illis inferres, pessimoq́ formaliter procedendi exemplo:* Quidam *homo est lapis,* Qu. *lapis est sensu praeditus,* Qu. *cadaver est animal,* Quid. *bipedes sunt stipites,* Qu. *tellus omnia fert,* Quid. *Turcæ aut infideles sunt electi,* Qu. *homines sunt irrationales,* Qu. *lapides sentiunt,* Quid. *homines infernum adeunt & revertuntur,* Cuidam *vel omni dat omnia Deus, &c. cum hæc omnia falsa & tantùm non absurda sint, nihilq́ affirmati Logicâ veritate ac formâ hinc deduci queat,* sed simpliciter in his negari debeat, Nullus *homo est lapis,* Nul. *lapis est sensu præditus,* Nulla *tellus omnia fert,* N. *hom. infernum adeunt & revertuntur,* N. *dat omnia Deus, &c. quæ verissima sunt, & in quib⁹ sistendum. Sic rectè* ICti *docent, Ex eo, quod lex aliquid non suum esse statuat, non statim inferri posse,* meum *esse, cum Neutrius esse queat.* V. Matt. Stephani l. 2. Dial. Juris, c. 27. n. 3.

27. 3. Quia ex universali negante vi formæ & ipsius negationis non licet aliam affirmantem inferre, sed in negando tantùm sistitur. *Vt, N. homo est leo, Non inferes, E. aliquis.* Cur *non idem de particulari negante sentiendum, ut tantùm in negando sistatur, nihil affirmati inde inferatur? Vt,* Non *omnes homines sunt Philosophi, non inferendum: E. quidam, Cum nulli tales esse possint.* Non *omnes asini sunt dociles, non inferas: E. quidam, Cum nulli sint dociles.* Particularis negans *ex se & vi formæ suæ negat particulariter, velut universalis universaliter, singularis singulariter, nihil affirmati inferri patitur.* Ex vi formæ, inquam. *Nam per materiam varia hic intuleris, quæ formæ illatio non statim admit-*

tet. 4. Authoritates Doctorum Virorum idem probant. Aristoteles 1. prior. *Enuntiationem* μὴ παντὶ, *non omni inesse dicentem particularem, esse dicit. Non autem est particularis affirmans. E. negans. E. in hoc formale ejus significatum & potestas consistet.* D. Keslerus d. conseq: c. 1. Quod ad æquipollentiam propositionum ipsam, ait, attinet, distinguendum esse videtur inter propositiones considératas respectu sensus, *quem signa de se inferunt*, & inter usum communem, quo usurpantur. Ex vi igitur propriâ, cum dicitur, Non omnis homo volat, insinuatur tantùm, Cuidam homini volatum non convenire, non attento, utrùm alicui etiam conveniat, an nulli. Sed tamen in usu communi hujusmodi enuntiandi formula adhibetur, ut innuatur particularis affirmativa & negativa. Ut, Non ex quolibet ligno fit Mercurius, communi judicio significatur, ex aliquo quidem ligno fieri Mercurium, ex aliquo tamen non fieri. Postea etiam *inter illas propositiones* absolvtè *sumptas, & prout contradictoriè opponuntur, distinguit.* Illo *sensu affirmanti quid inferre*, Hoc nihil.

28. D Greberus d. 12. Log. q. 2. An non omnis, inferat enuntiationem biparticularem? Sic volunt nonnulli, & ob id non omnis & quidam, non enuntiationes non propriè efficere æquipollentes putant. Verùm distinguimus nos inter sensum communem talium enuntiationum, & proprium, vel earundem æquipollentiam. Priori modo quæstio concedi potest, non item posteriori. *E. g. Non omnis homo est doctus, hæc communiter ita explicatur: Quidam homo non est doctus, & Quidam homo est doctus, Cum tamen propriè loquendo sensus illius tantùm sit: Quidam homo non est doctus, hæcq; illi æquipolleat. Potiùs*

ergò

ergò dicendum est, quòd altera particularis alteram ratione materiæ consequatur. Hunnæus l. 3. Logic. p. 159. *cum* Vallæ *sententiam recitasset,* Hæc tamen, inquit, eruditioribus judicanda relinquimus. Contra Laurentium est authoritas Aristotelis, asserentis, eam enuntiationem, quæ μὴ παντὶ non omni inesse significat, esse particularem, &c.

29. Dices 1. Si hæc resolutio, Non omnis homo est doctus, h. e. quidam homo est doctus, & quidam non est doctus, non procedit, perit tota Aequipollentiæ doctrina Logica, in eà enim τὸ non omnis & quidam, æquipollentia facere asseritur, Et doctrinam hanc ut utilem in Logicis omninò retinent Peripatetici. Sed hoc posterius non conceditur. E. nec hæc resolutio reprobanda. R. Negatur Consequentia Majoris. *Non tollitur æquipollentia, si hæc resolutio negetur. Æquipollentiæ doctrina non omnis & quidam æquipollere docet,* sed retendo eodem propositionis sensu, non immutato. *Non omnis habet sensum negantem. Talem ergò & æquipollens, quidam inferre debet. Adiicienda ergò τῷ quidam negatio, ut prior sensus maneat. Sic* non omnis *& quidam æquipollebunt. Vt,* non omnis *homo est doctus, Et quidam homo non est doctus,* non omnis *adibit Corinthum, & quidam non adibit Corinthum, vere æquipollentia in sensu Logico sunt, & eundem sensum, negantem nempè, important. Sic negativa particularis rectè ex non omni infertur, Et in hac negatione sisti debet. Hoc modo* Logici, *si signo Vniversali vel particulari negatio præponatur, suo Contradictorio æquipollere enuntiatum dicunt. Sic, non om. homo est justus, æquipollere huic, Quidam homo non est justus. Sed* reliquorum resolutio præter negationem etiam aliam particularem affirmantem elicere vult, ut æ-

 qui-

quipollentia per duas biparticulares fiat, quarum una affirmet, altera neget. *Hoc nos* formaliter *ex tali propositione colligi posse negamus, & vel materiali saltem consequentiâ elici, vel prorsùs non consequi indè, dicimus.*

30. 2. Etiam Consecutionis doctrina perit, nisi ita resolvi concedatur. Docetur enim in eâ, ab æquipollente una ad alteram bonam esse consequentiam. E. & ab hac, Non omnis homo est doctus, ad has, Quidam homo est doctus, & quidam non est doctus, justè procedi poterit. R. Consecutio fieri debet servato sensu, & consequenter veritate eductorum. *Non autem servatur ea, si sic educatur. Non enim formaliter & semper id sequitur, ut* ante §. 26. *visum. Nec sunt æquipollentia, Universalis negata, & particularis affirmata, ut ab unâ ad aliam consecutio formetur, sed particularis negata. Hæc verò sensu Universali neganti æquipollet, & ad hanc per consecutionis doctrinam justa est consequentia.* Ut: Non omnis *homo est doctus. E. quidam homo non est doctus.* Sic valet: *Solus homo est Medicus. E homo est Medicus. Sed non valet: Non Solus homo est animal. E. homo non est animal, quia veritas violatur. Non Solus leo est corpus. E. leo non est corpus.* Deindè consecutio non tantùm formale est instrumentum Logicum, sed & materiale, quod respectum ad materiam & materialia requisita servare tenetur, nisi falsò educere unum ex altero velit. Materialia autem ex realibus sunt desumenda. Si res ipsa unum enuntiatum ex alio colligere non permittit, frustra in tali collectione te tenueris. Sic, *Non omnis leo est homo, frustrà colligas, E. quidam, Cum materia, cui instrumentum consecutionis adaptas, talem collectionem non ferat, sed* simpliciter illos terminos affirmatè jungendos respuat, & absolutè, nullum leonem esse hominem, dicendum esse suppeditet.

13. 4.

31. 4. Alii, ut modalium, ita & totam expositionis doctrinam exponibilium propositionum in Logicis alienam & inutilem ducunt, *ac ad veram* analysin Logicam *nihil pertinere censent, eoq́ non magnoperè laborandum putent, quomodo illis legitimè contradicendum veniat.* *Ita* Rameï *communiter.* Ramus l. 6. Schol. Log. c. 3. Nicephorus c. Cor. Martini c. 3. p. 22. Dunamus l. 2. Log. c. 4 Taleus in c. 4. *l.* 2. Dial. Ram. aliiq́;. *Quadantenùs & huc accedit* Scheiblerus c. 7. d. propos. n. 36. *Malè & hoc.* 1. Omne instrumentum eruendæ veritatis obscuræ dubiæq́; in Logicis proponi debet, & usum suum obtinet. *Sed expositio propositionis exponibilis est tale instrumentum. Facit enim ex propositione obscurâ & difficili sensum in animo audientis aut legentis* clarum & apertum, *adeoq́ ad veritatem sensus eruendam utilissima est.* Interdum *enim veritas in proposit: exponibilibus perobscura est, ut sensus in re alius sit, quàm ex verbis intellectus sibi format. Ubi* Logica *per expositionem talium propositionum intellectui succurrere debet, ut eum rectè circa sensum earum informet, ne erret, falsumvè pro vero expromat. E.* 2. Cujus exempla frequentissima in omni scriptorum genere occurrunt, *id ab analysi Logicâ non est alienum. Ubicunq́ enim veri aliquid subest, in eo analysi sua* Logicus, *ut fini suo conveniente, occupatur. Et consequenter modos explicandi, opponendi, consequendi, &c. In illo suppeditare debet.* Sed exponibilis propositionis *frequentissima in omnibus scriptoribus sunt exempla, ut* Theologica, Juridica, Medica, Philosophica, Oratoria, Poëtica scripta *passim testantur. E. expositio talium propositionum non est à Logicâ analysi aliena, sed maximè in eâ occupanda.*

32. 3. Quorum Enuntiatorum consequentia interdum â naturali intelligendi modo in rei ipsius veritate

diversa est, de eâ peculiariter in Logicis agendum, & analysi Logicâ ea digna sunt. At exponibilium consequentia à nostro intelligendi modo in rei veritate interdùm diversa est. *Sic si dicatur, Solus Pontifex est infallibilis fidei in terris judex, & contradicendo dicatur, Non solus P. e. i. f. i. t. l. naturalis intelligendi modus hanc statim sibi imaginatur consequentiam: E. Pontifex est judex fidei, & aliquid præter Pontificem etiam est judex.* Sed hæc consequentia in rei veritate non procedit. Logica enim in contradicendo tantùm negandum, nihil affirmari ultrà inferendum esse suggerit, ut §. 25. seq. *patuit*, & §. 50. seq. *ampliùs patebit. Sic si dicas, Omnes homines, præter incredulos, salvantur, inferri hinc videtur: E. qui salvantur, sunt homines præter incredulos, Et sic increduli non erunt homines.* Sed Logica hanc consequentiam corrigit, & sic inferendum docet: *E. qui præter incredulos salvantur, sunt homines,* Ut exceptio *ad prædicatum in priore enuntiato pertineat, non subjectum.* Sic *Om. homo, quatenus doctrinam habet, est doctus. Inferri hinc naturaliter videtur. Quidam, qui est doctus, est homo, quatenus doctrinam habet.* Sed Logica hoc corrigit, *& sic inferendum docet: E. quidam, qui quatenus doctrinam habet, est doctus, est homo.* Sic, *Nullum opus humanum magis salvat, quàm caritas, inferri hinc naturali judicio videtur, aliquod opus humanum salvat, sed caritas maximè salvat.* At Logica utraq; parte hoc falsum ait, & sic inferendum docet: Nullum opus humanum salvat, nec caritas salvat, nec magis, quàm aliud opus, salvat. *Plura ex* §. 53. 54. *patebunt.* E. de expositione exponibilium earumq; justâ analysi, oppositione, æquipollentiâ, *specialiter in Logicis est præcipiendum.*

33. 4. Sine cujus doctrinæ notitiâ errores ingentes

in

in rationalibus operationibus â Viris &jam doctissimis sunt commissi, multiq; Syllogismi in formâ vitiosi solui non possunt, ea doctrina Logicâ tractatione & analysi omninò est digna. Totaliter *enim ea falsi & judex & vindex esse debet, ut nullus falsum advertendi, resolvendi & confutandi modus prætermittatur, si quidem perfectè suas, operationes expedire velit, quod omnis habitus artificiosus conari debet.* At sine exponibilium earumq; resolutionis notiti â multi errores in rationalibus operationibus sunt commissi, multi etiam Syllogismi vitiosi rectè solui non possunt. Exempla *prioris* §. 22. 24. *vide. Ex ipso* Nicephoro Ramistâ *exemplum pessimæ resolutionis in his exponibilibus* §. 34. *videbimus.* Exempla posterioris *permulta sunt.* Sic, Pro quibus Christus oravit, pro illis mortuus est. Pro solis electis Christus oravit. E. pro solis electis Christus mortuus est. Qui eligunt Imperatorem Romanum, sunt principes Imperii. *Soli Electores eligunt Imp. Rom. E. Soli Electores sunt Principes Imperij.* Filius *Dei est crucifixus. Christus secundùm divinam naturam est filius Dei. E. Christus secundùm divinam naturam est crucifixus. Plura* decade I. Miscell: d: 7. t. 15. 16. *dedi.* Hæc solui non possunt, nisi ex exponibilium doctrinâ quis noverit, *Exclusivam semper virtutem aliquam negativam in se continere. Eoq;* minores, *quia exclusivæ hic sunt, virtualiter esse negantes, ac ita in Syllogismo 1. fig. locum invenire non posse. Et particulam* restrictivam in minore *mutare medium terminum, qui absolutè positus erat in majore. E. hæc doctrina Logicâ analysi omninò est digna.* 5. Ex hypothesibus Ramistarum sic arguo. Quousq; se extendit ratio, eousq; & Logica, & consequenter Logica resolutio. Est enim rationis disciplina, *& entis ac non entis ars, secundùm* Ramistas. *Sed ad exponibiles se extendit ratio, passim enim in scriptis authorum*

inve-

inveniuntur. E. *& Logica resolutio.* 2. Omnis enuntiatio composita in Logicâ tradenda est, ejusq; analysi digna. *Sic enim & de compositis Ramistæ in Logicis præcipiunt. Sed exclusivæ, quæ exponibiles sunt, secundùm* Ramistas *sunt composita. Ita enim de illis* Nicephorus, ut §. 34. *patebit.* E. *in Logicis tradendæ, Logicaq; analysi digna sunt. Et consequenter, quomodo legitimè illis pro fine Logices, veritate acquirenda, contradici debeat, disquirendum.*

34. 5. Alii exponibiles ad modum compositarum habendas, & sicut compositis contradicendum illis esse dicunt, cum reverâ per naturam suam compositæ, non simplices sint. *Vt, Solus Mahometes pro nobis intercedit, hoc sensu resolvendum: Mahometes Solus aut cum aliis intercedit pro nobis. Huic ut compositæ contradicendum: Mahometes nec Solus, nec cum aliis intercedit. Sic dividiverum à falso, & contradicentem omninò veram futuram. Ita* Nicephorus con. Corn. Martini c. l. Falsò & hoc, *& sic fructus se ostendit apud* Ramistas *contemptæ totius* exponibilium *doctrinæ, quomodo* in resolutione & oppositione exponibilium *alienè prorsùs & satis ineptè se gerant.* 1. Expositio & oppositio ob materiam tantùm procedens, non formam, est illegitima, *particularis, & formaliter observari non potest. Hæc expositio & oppositio* Ramistica est *talis. Si enim ad eandem formam in aliâ materiâ resolveris, falsissimè resolveris.* E. g. Sola Logica Rami omnia resolvit. *Dic tu, sensum esse:* Logica Rami sola aut cum aliis omnia resolvit, & contradic, Logica Rami nec sola, nec cum aliis omnia resolvit. Hic utraq; falsa est, *quod contra naturam Contradictionis.* Prior quidem, *Nam qui solam Logicam Rami omnia resolvere dicit, negat eam cum aliis id facere. Vis enim* exclusivæ Solus *ea est, ut alia removeantur, non adjı-*

adjiciantur, adeoq́; cauda ista, aut cum aliis, Naturæ exclusivi signi prorsus repugnat, ejusq́; sensum evertit. Nam qui, vel cum aliis, concedit, admittit alia in societatem. At exclusiva solus *ea repellit, & negat, ulla alia admitti posse.* Posterior, nam prorsùs negat Logicam Rami omnia resolvere, quod Rameis *non concedendum æstimabitur. Ergò illegitima hac expositio & oppositio.* 2. Expositio naturam & sensum exclusionum evertens, & ex verâ propositione falsam faciens, non est legitima. *Retinere enim vim exclusionum vera expositio debet, non evertere. Sed expositio* Ramistica *id facit. Nam cum dico, Solus homo est animal, ita an. de homine prædico, ut negem, de ullo alio, præter eum id prædicari posse.* Hæc enim vis exclusionum est, ut negent coetera & tollant, non admittant & apponant. Expositio autem Ramea alia adhuc admittit, Homo vel Solus, vel cum aliis est animal. *At eo ipso, quo solus animal esse dicitur, negatur cum aliis esse tale.* Solum enim est id, quod non cum aliis est. *Sic verum est:* Solus Deus est *infinitus, j. e. Deus non cum aliis est infinitus. Sed expositio* Ramea *falsum facit: Deus Solus vel cum aliis est infinitus. Hoc enim, vel cum aliis,* naturæ exclusionis repugnat, *quæ non admittit alia, sed excludit. Vnde sic resoluta exclusiva falsa fit, & sensus exclusivarum tali resolutione evertitur. E. talis expositio est illegitima.*

35. 3. Contradicendi forma utramq́; contradicentem falsam faciens, non est legitima. Verum enim â falso formaliter & immotè hæc secernit, non utrumq́; falsum promit. *Sed contradicendi forma* Ramea *utramq́; falsam facit. Vt in enuntiato, Sola Logica* Ramea *omnia resoluit, Vt* §. 34. *visum. Ergò.* 4. Contradicendi forma compositæ, non ut composita est, contradicens est illegitima.

Composita enim, ut una est unitate compositionis &
conjunctionis, sic & unâ contradictione in illâ conjun-
ctione illi contradici debet. Vnum enim uni formali-
ter est contradictorium, *non multis, & in uno multa impli-*
citè, confusè, & quasi potentiâ contineri possint; Quà tamen
sub uno stant, uno Contradictorio negari debent. Sed contra-
dictio Ramea non compositæ, ut composita est, sed ut in
multas simplices resoluta est, contradicit. *Solus Ma-*
hometes pro nobis intercedit, contradicitur â Rameis. *Maho-*
metes nec solus, nec cum aliis intercedit. At hic duobus con-
tradicitur, quasi sic dictum fuisset: Mahometes solus interce-
dit, & Mahom. cum aliis intercedit. His duobus enuntia-
tis propriè per hæc duo contradicitur, Mah. non solus
intercedit, & Mah: nec cum aliis intercedit. Cum uni,
ut unum est, contradici debuisset hoc modo: Non solus
Mahom. pro nobis intercedit, *Hoc est, falsum est illud e-*
nuntiatum: Solus Mahometes pro nobis intercedit. E. con-
tradictio Rameorum est illegitima. 5. Etsi exclusiva plu-
res potestate contineat, *& sic implicitè composita dici possit:*
eo sensu tamen non composita est, quo veræ hypotheti-
cæ compositæ sunt, ut in disjunctivam commutari debe-
at. *Hæc enim exclusionis naturam & vim evertit, quæ a-*
lia reÿcit â consortio, non admittit. Sed in has simplices est re-
solvenda: Solus Mah. pro nobis intercedit, h. e. Mahom. pro
nobis intercedit, & nemo alius, præter eum, pro nobis interce-
dit. Posterior *enim exponens negativa esse debet, non asso-*
ciativa. Vis enim exclusivi signi omnia alia â participatione
prædicati excludit, quæ non sunt subjectum. Ramistarum
autem resolutio alia in societatem subjecti admittit, cum repel-
lere deberet. Istis expositis si contradici debeat, sic contradicen-
dum erit: Mahom. non intercedit pro nobis, & aliquis ali-
us præter eum p. n. int. Quæ contradicentes omninò
erunt verissimæ. 36, 6,

36. 6. Alii exponibiles primùm in ſuas exponentes reducendas ajunt, & cautè in legitimum ſenſum reducendas, & per exponentes illis contradicendum eſſe. Priusquàm in ſenſus ſuos reſolutæ ſint, formaliter illis contradici non debere. Ita Dn. Corn. Martini d. anal. form. c. 3. & Bacchius vindic. l. 1. c. 3. §. 3. Gutkius d. 11 Log. diu. Mendoza d. 4. ſumm. §. 61. aliiq;. Hæc ſententia non incongrua eſt, *& veritati meliùs eruendæ ſubſidium eò tutius parat, quo periculoſiùs circa eam errari poteſt, ſi non ad cujusvis enuntiati ſenſum accurratè eruendum reſpiciatur.* Abſolutè tamen ei *non ſubſcribam*, & exponibilibus, etiam ut in formâ exponibili ſtant, *contradici poſſe cenſeam.* 1. Quia Contradictio formale inſtrumentum eſt, omni Enuntiationum formæ Logicæ adhibendum, & in omni materiâ uſurpandum, nō attendendo ad intentionem vel ſenſum proferentis, *ſed quod ex ipsâ opponendi formâ verum â falſo ſecernere debet. Vt maximè materiæ aut intentionis nullam habeamus notitiam.* E. & in exponibilium propoſitionum formâ. *Nam & hæ formæ Logicæ propoſitionum ſunt. Non ergò præcisè in alias exponentes primùm reſolvendæ, quàm illis contradicatur: Sed ut in tali formâ ſunt, Contradictionis inſtrumentum Logicum in illis adhiberi poterit.* 2. Quia in ſuâ formâ veritatem & falſitatem continent, non demùm, ut in exponentes reſolvuntur. *E. & ut in ſuâ formâ ſunt & manent, Contradictionē, formale ſecernēdi verū â falſo in omni materia mediū, admittent.* 3. Quia omnis vera ſpecies Enuntiationis Logicæ etiā affectionis formalis & primariæ in enuntiationib⁹ in ſuâ forma eſt capax. *Sed exponibilis eſt vera Enuntiationis Logicæ ſpecies. E. & affectionis Enuntiativæ formalis in ſuâ forma eſt capax, Qualis eſt* Contradictio. 4. Si ob ſenſum implicatum exponibilibus in

suâ formâ contradicendum non esset, *nisi priùs in exponentes resolverentur*, & modalibus *non in suâ formâ contradicendum esset, sed primùm in alias simpliciores resolvendæ essent.* Sed posterius *communiter in* Logica praxi *non admittitur, in quà modalibus etiam in suâ formâ, frequentissimè contradicitur. E. nec prius in exponibilibus præcisè admittendū.* 5. Si hypotheticis etiam in formâ hypotheticâ contradicitur, Cur non & exponibilibus iu suâ formâ? *Æquè enim illæ sensum interdum obscurum continere possunt, ac hæ. Vt, Si a. v. h. p. Non si as. v. h. p. Aut dies est, aut nox. Non aut dies est, aut nox est. Et prodesse volunt & delectare Poëtæ. Non& prodesse v. e. d. P. E. & posterius.*

37. 7. Alii oppositionem exponibilium & modalium in negatione totius connexionis ponendam putant, ut & tota propositio, & totum ejus prædicatum negetur, nihil de veritate ejus relinquatur, etiam si aliàs extra oppositionem partem aliquam veram habere possit. Sic, Papa *necessariò est homo, qui in decidendo infallibilis est, contradicitur, Papa non necessariò est h. q. i. d. i. e. Vbi ratione contradictionis & homo & infallibilis de Pagâ negatur, licet aliàs homo ei insit.* Sic, Sola *Romana Ecclesia est Catholica, Non sola Eccl. Rom. e. Cath. Et Catholicam eam esse, & solam talem esse negatur.* Solus *angelus est anima, quæ incorporea est,* N. Solus *ang. e. a. q. i. e. & anima, & anima, quæ incorporea sit, angelus negatur.* Solus *homo est corpus, quod à se movetur, Non solus h. e. c. q. a. s. m. & corpus, & à se moveri, & solum tale esse, de homine negatur.* Et modum & dictum in his similibusq; negandum *esse ut Contradictionis formalis censent, etiamsi dictum alias rei inesse possit. Secus* 1. Non vera modalis negabitur, quippe quæ modum cum suo dicto negare debet, *Vt, homo necessariò est animal, homo non nec. est*

an: & animal& necessitas animalis de homine negatur. 2. Non ipsa connexio propositionum negabitur, sed membrum tantùm aliquod illius. *At vera negatio connexionem propositionis negare debet. Sic quia in hac, Papa necessariò est homo in decidendo infallibilis, & homo & infallibilis simul connectuntur, in Contradictione etiam simùl negari debent.* 3. Formalis modalium negatio aliàs destruetur, *si tantùm respectivè ratione dicti aliquid negetur. Absoluta autem negatio fertur in modum, respectiva in dictum. Ab absolutâ autem Enuntiationes dicuntur negativæ, quam negationem qui tollit, formalem modalium negationē tollit.* 4. Oppositio, quæ ex respectivâ negatione est, *formā propositionis aliquādo destruet* 5. Forma propositionis, *quam extra qualitatem & qualitatem habet, in statu oppositionis non manebit eadem.* 6. Formalis contradictio *præter qualitatem inter diversæ formæ enuntiationes esse poterit.* Quæ omnia *manifestò falsa & absurda sunt. Hæc sententia* Ravij est in def: conr. Scharfium c. 4. & in tractat. d. propositionib. c. I. 2. 4. Ut & in proëmio Logicæ novissimæ, §. I. n. 2. & C. 3. §. 9. *Quam multis ibidem explicat & confirmat.*

38. Paucis ex illis scriptis, *quæ ad explicationem & confirmationem sententiæ illius faciunt, nonnulla hic excerpam & deducam.* 1. Negatio & copulam & modum in modali negare debet, & per eam totum prædicatum removere â subjecto. Sed principaliter copulam *negare debet, Ut in* πρώτῳ δεκτικῷ *enim in copulatione & copulâ est, non in verbo in prædicato posito, & si vis ejus & efficacia etiam ad terminum & prædicatum ferri possit.* Negatio principaliter est connexionis prædicati cum subjecto, & ejus, quod connexionem dat: Vis negationis etiam ad prædicatum, &

 quæ

quæ cum illo juncta sunt, *tanquam ad terminum ad quem ferri potest.* Et per hoc differt negatio ab infinitatione, *quòd infinitatio propriè rem per terminum enuntiatam & quæ in termino est, tollat, ut non ea sit, Vt homo est non leo, non corvus:* Negatio *tantùm rem separet, quæ est in termino, ut non una sit cum subjecto, vel, ut ei non insit.* Negativa *particula ubiq; rem, quam invenit, tollit, & sic etiam in negante enuntiatione prædicatum tollit, non ut ipsum non sit, sed ut subjecto non insit. Vt, homo non est leo, non est inanimatus.* 2. Vis oppositionis non est à formâ oppositionis diversa. *Oppositio enim formaliter consideratur: Cujus vis & forma sunt idem.* 3. Cum negatio in modalibus penes modum esse dicitur, *non est sensus, quod primariò in modo sit, sed quòd modum non debeat præterire, vel post eum poni, sed & ad eum ferri.* 4. Negatio quia in enuntiato prædicatum à subjecto tollere debet, *quærendum aliquid est, in quo tanquam primario subjecto naturam* suam exerat, *ne aliis vim inferat.* Connexionem *autem tollit, & sic* in particulâ connectendi prædicatum subjecto primariò, ut principali proprioq; subjecto, hærebit. *Hæc particula τὸ* est, *verbum illud substantivum, erit, sed quod peculiariter hic sumendum, & singulari huic functioni destinandum, connexioni, ut nihil nisi connexionem det.* Nec cum altero est, quod prædicati est proprium, cumq; eo materiam ejus constituit & complet, confundendum, *nec hoc cum connexione miscendum, aut unum in diversis functionibus assumendum. Hoc enim ut sæpè tolerari potest: ita sæpè etiam non potest, & errores magno incremento protrudit. Quare* ut formaliter *τὸ* est connectens pateat ab est prædicati distinctum, peculiariter in propositione est assumēdū, *& in ejus resolutiōe ponendū, Vt, homo est animal, h.e. homo est ille, qui est an. Vt* primum

mũ *pro verâ copulâ habeatur*, posterius *pro parte materiali prædicati, quod compleat. Hoc modo resolutam propositionem si quis per oppositionem neget*, totam connexionem & propositionem negabit cum suis membris, nihil relinquet, *etiamsi absolutè pars aliqua vera esse possit*. Oppositio enim formalis *ex formâ suâ idem ubiq; negat, totum nempè, non pro diversitate materiæ partem aliquam prædicati negat, relictis partibus cæteris. Hæc enim materialis tantùm erit opposita, non formalis*. Sic, solus Papa *est homo in judicando infallibilis, formaliter opponendo totum illud negatur, Non solus Papa est homo in judicando infallibilis, & hominem eum esse, & in judicando infallibilem, quia conjunctim hic & simùl proponebatur, etiam conjunctim & simùl, h. e. totum negandum fuit. Plura exempla §. 37. vide*. 5. Aliud est, formam oppositionis attendere, aliud causam ejus. Causa, ob quam *fit Oppositio, est falsitas alicujus enuntiationis positæ, & materiam, de quâ loquitur propositio, concernit*. Forma oppositionis est dispositio *opposita, instrumentum falsitatis eò accuratiùs retundendæ. Hoc* instrumentum universale & abstractum ab omni materiâ in Logicis esse debet, *ut circa materiæ respectum ubiq; adhiberi possit. Secus formale non erit*. Oppositio autem exponentes priùs Enuntiationis, & intentionem proponentis inquirens, magis materialis est, *ad Analyticum materialem pertinet, non ad formæ oppositionis constitutionem*. Verba propositionis sensum ex enuntiandi modo & formâ habent, non eam ex intentione demùm proponentis, aut enuntiationis in omnes suas implicitas resolutione, nancisci tenentur. In analysi materiæ *propositionis ita procedere oportet, in formali oppositione opus non est*.

39. 6. Affirmatio & negatio ad totum prædicatum ferun-

feruntur, h. e. affirmant aut negant totum prædicatum, quatenùs totum est, Et formalis oppositio ubiq; negat totum prædicatum, sed quatenùs id totum est. Qualis enim unio est, talis ex unione resultans affirmatio est. Unio *autem prædicatum subjecto conjungit non aliter, nisi ut partes in prædicato conjunctæ sunt; Sic & affirmatio non aliter affirmat prædicatum, nisi ut partes ejus conjunctæ sunt, & prædicatum effecerant unum.* Eodem modo & negatio, quæ est affirmationis sublatio, formaliter ac vi oppositionis non partem aliquam in prædicato tollit, sed prædicatum totum, *quatenùs totum est, non ut partium divisio fit, ac separatìm eæ spectantur.* Sic, solus Pontifex Rom. est caput Ecclesiæ visibile, *negando hic totū enuntiatum, quà totum & ex partibus omnibus conjunctum est, negatur, non una alterave ejus pars. Non solus P. R. e. c. E. v. hoc est, falsum id est, S. P. e. c. E. v.* Nec ex istâ negatione sequitur, *vel Pontificem caput esse, etsi non solus sit, vel visibile caput esse. Nihil hinc sequitur.* Sic, sola divina natura in *Christo est adoranda, Contradicendo totum negatur,* Non sola *D. n. i. C. e. adoranda, quatenùs totum est, non quatenùs in partibus quibusdam separatim existit, & interdùm verum esse potest. Ita verum esse potest, divinam Naturam in Christo esse adorandam. Hoc pars aliqua prioris enuntiati est.* Sed à negato toto formaliter ad singulas partes seorsìm sumptas negandas non procedi debet. Totum hoc conjunctum, sola divina Christi natura est adoranda, est falsum, adeoq; oppositâ propositione negatur, Non sola divina Christi natura est adoranda. *Hinc non consequitur, nec ex formâ oppositionis hoc elicietur, ad. esse: sed materiâ & re propositionis, quam enuntiat.*

Hoc modo pars aliqua *in prædicato vera esse potest, pars falsa.*

EX-